

Deus remittat vobis omnia peccata vestra,²⁰⁹ de qua remissione peccatorum ne vestra fides dubitet, baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, quia Christus dedit nobis tale signum, et mandavit nos in hoc baptizari,²¹⁰ ut certo statueremus nos esse Deo reconciliatos propter ipsum Christum, e
 5 cuius latere in cruce exiit sanguis et aqua.²¹¹ Sic et Christus ipse manifeste particulam de remissione peccatorum expressit in institutione coenae, cum sic inquit: „Qui effunditur in remissionem peccatorum“²¹² q.d. Comedite meum corpus et edite meum sanguinem, in certum signum et testimonium, quo vestram de remissione peccatorum fidem confirmare possitis, ut hoc sacra-
 10 mentum (sicut et Baptismus) sit certum pignus et arabo, quod Christus suum corpus [124:] pro nobis dederit et suum sanguinem effuderit, quod beneficium indubitata fide nobis applicemus. Sicut egregie dicit Epistola ad Hebraeos cap.10. „Habentes fratres fiduciam introitu in Sancta per sanguinem Christi, quam initiauit nobis viam nouam et viuentem per velamen, id est per
 15 carnem suam, et habentes sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero et certitudine fidei, aspersi corda, ut auferatur conscientia mala, et abluti aqua pura, teneamus spei nostrae confessionem, non vacillan- tem. Fidelis enim est, qui promisit.“²¹³

Haec duo sacramenta diuus Paulus ecclesiae Christi passim in epistolis suis
 20 commendauit,²¹⁴ et diuus Petrus Baptismum stipulationem conscientiae appellat,²¹⁵ et Iohannes dicit Christum venisse per aquam et sanguinem.²¹⁶

Haec duo sacramenta diuus Augustinus expresse nominat, nec quicquam sciuit (sicut neque alii Patres) de septenario numero sacramentorum.²¹⁷ Verba Augustini de doct. christ. Lib.III.cap.9. haec sunt: „Hoc vero tempore,
 25 posteaquam resurrectione Domini nostri manifestum indicium nostrae libertatis illuxit, nec^a eorum quidem signorum, quae iam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quaedam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et obseruatione castissima, ipse dominus et apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum et celebratio
 30 corporis et sanguinis Domini.“²¹⁸ Item ad inquisitiones Ia-[125:]nuarii cap.1: „Primo itaque te tenere volo, quod est huius Disputationis caput, dominum

^a konjiziert aus: ne.

²⁰⁹ Vgl. I Joh 1,9.

²¹⁰ Vgl. Mt 28,18–20.

²¹¹ Vgl. Joh 19,34.

²¹² Mt 26,28.

²¹³ Hebr 8,19–23.

²¹⁴ Vgl. I Kor 11, Tit 3

²¹⁵ Vgl. I Petr 3,21.

²¹⁶ Vgl. Joh 3,5.

²¹⁷ Die Siebenzahl der Sakramente wurde – nach entsprechenden Verlautbarungen des 2. Konzils von Lyon 1274 (DH 860) erst durch das Konzil von Florenz 1439 (DH 1310–1313) und das Tridentinum (DH 1600–1613) für den römischen Katholizismus festgeschrieben.

²¹⁸ Augustin, De doctrina christiana III,9(13), in: PL 34, 71 (CChr.SL 32, 85,11–86,18).